DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO

GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS, RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

THOMAS ARTHURE,

HIBERNUS,

SOCIET. REG. PHYSIC. EDIN.

SOC. HONOR.

Ad diem 25. Junii, horâ locoque solitis.

Lethalis hyems paulatim in pectora venit,
Vitalesque vias, et respiramina claudit. OVID.

EDINBURGI:

EXCUDEBANT ADAMUS NEILL ET SOCII.

1804.

JOHANNI ARTHURE,

DE SEAFIELD IN COMITATU DUBLINIENSI,

ARMIGERO,

JURIS-CONSULTO APUD DUBLINIENSES SPECTATISSIMO,

S.

TIBI, mi FRATER, has studiorum meorum, qualescunque sint, primitias dicare decrevi. Debentur virtutibus tuis, amorique erga me plusquam fraterno: TU enim in omni meo studii medicinæ curriculo, non solum me tuis præceptis fovisti, sed ut Amicus carissimus inter fluctus vitæ luctanti manum porrexisti; TU etiam votis meis aspirâsti et omnibus meis commodis consuluisti.

Accipe igitur, hoc opusculum, animi haud ingrati indicium, quod cum maxima tuorum in se beneficiorum testificatione, et summa, qua decet, observantia, TIBI lubentissime offert frater tuus devinctissimus,

THOMAS ARTHURE.

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PNEUMONIA.

MORBUM, quem hac in dissertatione tractare fert animus, omnes ferè medici, qui de eo scripserunt, in duas species *PLEURITIDEM*, nempè, et *PERIPNEUMONIAM*, diviserunt. Illam inflammationem, qua pleura costalis affici existimabatur, *pleuritidem*, quam verò in substantia pulmonum parenchymatosa, seu tela cellulari domicilium habere credebant, *peripneumoniam*, nuncupaverunt. Utraque specierum his signis cognosci potest.

 "Pneumonia

" Pneumonia *(pleuritis)* pulsu duro; dolore, plerumque lateris, pungente, sub inspiratione præsertim aucto; decubitu in latus molesto; tussi dolentissimâ, initio siccâ, posteà humidâ, sæpè cruentâ *.

" Pneumonia *(peripneumonia)* pulsu non semper duro, aliquando molli, dolore thoracis obtuso, respiratione perpetuò difficili, sæpè non, nisi trunco corporis erecto, exercendâ; faciei tumidæ colore purpureo; tussi plerumque humidâ, sæpe cruentâ †."

Cadaverum tamen sectione, inflammationem, quam in pleura costali sedere existimabant, multò sæpiùs pleuram summos pulmones cingentem, invadere patet. Hinc distinctionem morbi nullam esse inter medicos nunc convenit.

Cùm igitur omnes thoracis viscerum inflammationes

* Cullen. Synops. Nosolog. Method.

† Ibid.

flammationes propriis signis vix secernendæ sunt; cùmque ferè ex eisdem causis originem ducant, et eidem curationi cedant, hîc, sub nomine Pneumoniæ, de iis agere rectum mihi videtur.

PNEUMONIAM sic accuratè breviterque definivit CULLENUS:

"Pyrexia; dolor in quadam thoracis parte; respiratio difficilis; tussis."

HISTORIA.

HIC morbus acutissimus est, et secula antiquissima non latebat. Ferè in hieme et vere, sæpè in autumno, sed rarissimè in æstate, adoritur; etiam in tempore pubertatis et in maribus frequentissimè semet ostendit.

Morbo ingruente languor, lassitudo, animæ defectio cum horrore, rigore et frigoris sensu, ferè semper adsunt. Hæc calor auctus, aliaque

que pyrexiæ signa, excipiunt. Aliquam thoracis partem afficit dolor, plerumque acutus, qui rarò fixus est, et sæpè sedem variè mutat, modò sternum modò claviculam scapulasque invadens; sæpissimè tamen costâ sextâ vel septimâ sedem figit, et maximè urget. In plerisque exemplis dolor haud ultrà progreditur; interdum autem, ut Illust. PRINGLE meminit, ad aliqua viscera abdominalia descendere videtur, ubi inflammationem horum tam æquè mentitur, ut peritissimos fallat. Pulsus arteriarum validi, duri et ferè crebri fiunt.

Respiratio in pneumonia semper reperitur frequens ac difficilis, et summo sine dolore æger lateri affecto recumbere nequit; aliquando etiam inflammatione longè latèque diffusâ, spirandi difficultas adeò augetur, ut nisi erectâ cervice spiritus non trahendus sit. Tussis major minorve ægrotum semper vexat, quæ sub initium sicca est, posteà verò humida. Sputum colore est varium; nunc tenue, viscidum et sanguine leviter tinctum, tunc spissum et purulentum. Sub inspiratione augetur

getur æquè tussis ac dolor, et difficultate, quâ pulmones dilatantur, forsan oritur.

Morbo crescente, omnia symptomata ingravescunt. Facies turgescit et purpurascit, labia livescunt, lingua aret, et oculi aquosi interdumque suffusi evadunt. Diarrhœa nonnunquam hunc morbum comitatur; sæpiùs verò alvus astricta est. Urina rubescit, et sedimentum lateribus simile deponit. Sanguis hoc morbo laborantibus detractus, superficiem coriaceam albam semper exhibet.

Post diem tertium, et ante septimum, omnia symptomata interdum subitò remittunt, et ægro amicisque optimam spem et animum reddunt; sed parum fiduciæ in hoc a medico collocaretur, namque brevi adaucto impetu sæpè redit morbus, et omnibus signis magis magisque ingravescentibus, delirium et nonnunquam coma, frigusque pedum et manuum succedunt. Pulsus arteriarum debiles et intermittentes fiunt. Sudor gelidus, præcipuè circum

circum caput et pectus, perrumpit, et denique reliquum corpus occupat.

Respiratio quoque laboriosissima ac frequentissima evadit*. Omnia hæc signa in spatium temporis brevissimum solùm durant; mors ipsa enim, rerum humanarum ultima linea, citò subsequitur, et finem miseriis imponit.

Terminationes pneumoniæ sunt: 1. Resolutio. 2. Suppuratio. 3. Gangræna. 4. Effusio.

1. *Resolutio.* — Hujusmodi terminationes omni in morbo inflammationem habente, et potissimùm in hoc, qui maximi momenti in confesso est, magnoperè expetendæ sunt. Quum morbus, statu et texturâ partis laborantis

* Respirationes circiter viginti, spatio sexagesimæ partis horæ fieri consuescunt. In pneumonia verò ad quadraginta nonnunquam augentur; et uno in casu, posteà citando, octogies usque absolvi respiratio observabatur.

rantis non deletis, evanescit, resolutione terminari dicitur. Hoc fit cùm vasorum congestio et diathesis phlogistica, aut remediis adhibitis aut evacuatione naturali tollantur. Quibus evacuationibus, adventus resolutionis in pneumonia ferè designatur: hujusmodi sunt excretio urinæ copiosa, quæ lateritium sedimentum deponit; e naribus vel venis hæmorrhoidalibus, vel forsitan vasis uteri ipsius, hæmorrhagia profusa; diarrhœa biliosa; sputum copiosius ac liberius materiæ albidæ, aut flavæ, et interdum sanguine tinctæ; et denique sudor liberalis ac universalis, per totum corpus diffusus.

Signa, quæ denunciant hunc eventum incidisse, sunt doloris diminutio vel cessatio; pulsus minùs frequens; calor corporis ut naturaliter se habet, et uno verbo, omnia quæ febrem conquiescere indicant.

Tempus hujus terminationis admodum incertum est. In vel ante septimum diem, resolutione morbus ferè finit. Contrà, non desunt

sunt exempla in quibus, ob lenitatem morbi et remissionem fraudulentam, hæc terminatio ad diem duodecimum, vel decimum quartum usque vel etiam ultrà, tardata fuit.

2. *Suppuratio.*—Secundum resolutionem, hæc terminatio tutissima est. Quum impetus sanguinis auctus in parte affecta, vascula ejus exhalantia adeò dilatat, ut fluidum serosum et interdum sanguineum effundant, quod in materiam albidam, opacam, crassam, et modicè viscidam quæ *pus* appellatur, mutatur, suppuratione terminari dicitur.

Post diem decimum quartum vel seriùs, si nulla resolutionis aut symptomatum levaminis indicia anteà apparuêre, causa non deest, quòd in suppurationem morbum abiturum timeamus. Idem timere licebit, si dolor lateris diminuit vel omninò cessat, et pulsus minùs durus plenusque fiat, et etiam si excreatio subitò reprimitur, dum spiritus difficilis et tussis maneant et magis magisque ingravescant.

Hanc

Hanc verò accessisse et abscessum formari planè testantur, dyspnœa gravis, tussis frequentior et in latere affecto molestiæ sensus, rigores, pulsus plenior, mollior magisque creber, levatio vel etiam cessatio doloris a tensione oriundi, sudores præsertim circum caput ac pectus erumpentes, et denique febris ipsa hectica.

Cùm, abscessu rupto modica in quantitate materia sit, per liberam excreationem tolli, vel ob pulmones ad pleuram quæ costas aut diaphragma vestit adhærentes, extrinsecùs vel in abdomen effundi potest. Hîc quoque animadvertendum est, hanc terminationem empyema vel phthisin pulmonalem interdùm inducere. Prius incidit quando vomica eo, quod continet, non solvere se potest, posterius quando æger scrofuloso habitu tuberculisque pulmonum, quibus cùm in suppurationem adeant, infelici humani generis sorte nullum remedium adhuc reperitur, præditus est.

3. *Gangræna.*—Quum pars vitalitatem perdidit, vel fluidum in textum cellularem vasculis exhalantibus effusum, putrido fermento vitiatum est, gangrænâ terminari dicitur inflammatio. Pneumonia verò hoc modo rarò terminat, et nunquam sine effusione sibi conjuncta. Cùm fluidum effusum textusque cellularis tantummodo putredine vitiantur, *gangrænâ;* si verò ad musculos et vasa usque pervadat, *sphacelo;* pars corripi dicitur. Exinde, gangrænam et sphacelum non diversos fines esse, sed gradu duntaxat differre, manifestum videtur. Gangrænam appropinquantem notant doloris subita remissio; pulsus debilis ac frequens; anima fœtida, cum materiæ purulentæ et nigricantis sputo; vultus collapsus; virium summa privatio, et denique dejectiones fœtidæ, nigerrimæ simulque frequentissimæ, cum urina perquam turbida et rubra, sedimentum atrum et colori choavæ simile deponente.

4. *Effusio.*—Omnium pneumoniæ terminationum hæc, cùm morbus exitium affert, longè

gè maximè communis est. Effusio incidit cùm liquor serosus sanguineusve e vasis exhalantibus dilatatis aut ruptis, in bronchia vel textum pulmonum cellularem effunditur, ibique vasa aërifera comprimendo suffocationem mortemque instantem facit. Talem eventum portendunt virium repentina prostratio, respiratio difficillima, cum sensu oppressionis vix tolerando; cessatio doloris subito, et livor faciei.

Præter eas terminationes pneumoniæ, altera adhuc memoranda restat: *Exudatio* scilicet, quæ partim in pleuræ superficiem se prodit, formâ viscidæ concretionis, pulmonibus adhæsionem inducens; et partim in cavum thoracis evadit, formâ fluidi tenuis et serosi, quod si non absorbeatur, hydrothoraci viam sternat.

Hisce peractis, proximum est, ut ad causas remotas morbi nunc animum intendam.

CAUSÆ

CAUSÆ REMOTÆ.

Hæ haud immeritò in duo genera, *prædisponentes* et *excitantes* nempè, dividi solent.

Prædisponentes,—sunt quæ corporis conditionem ita mutant, ut, oblatis excitantibus, morbus ſtatim enascitur. Diathesis phlogistica est præcipua corporis conditio e quâ proclivitas ad pneumoniam ut et reliquas phlegmasias, multùm pendere videtur. Hæc interdum innata, et interdum vitæ genere acquisita est. Inter causas prædisponentes plenitudo et rigiditas vasorum pulmonum, æquè ac totius corporis, censeri debet; hinc opifices, et ii corporeo labori assueti, qui dum diætâ nimis lautâ et plenâ vivunt, et usui liquorum spirituosorum immodico se dedunt, plethorici et fibris rigidi admodum fiunt, ad hunc morbum præ aliis esse proclives reperiuntur.

Eos homines, qui sanguineo temperamento præditi sunt, præ cæteris, hic morbus invadit *. Hoc adesse testantur flavedo vel rubedo capillorum; mollis corporis habitus et musculorum laxitas; mollities cutis ac tenuitas magnitudinem arteriarum, ex fluidorum copia facilem visu reddens; vultus placidus, cum genarum ac labiorum rubore splendente ornatus; celeris cogitationum successio. Signa modò tradita clarè ostendunt nervorum magnam sensilitatem, fibras rigidis diversas, et vasa nimis plena, quæ omni ætate, sed potissimùm florente, in hominibus tali temperamento præditis plùs minùsve conspicua sunt.

Ex anni temporibus quibus morbus impetum facere solet, longè frequentiorem esse in vernis autumnalibusque, et dum frigidi venti ab oriente spirant, omnes inter medicos consentitur:

---

* Vid. GREGOR. Consp. Med. Theor. tom. ii.

Ita dicit SYDENHAMUS, "Temperamento sanguineo præditos præ reliquis aggreditur, sæpè etiam "rusticos, et duro jam fractos membra labore."

sentitur: quia tunc magna varietas cœli ac tempestatis, crebræque vices caloris ac frigoris, ferè semper adsunt. Hæc pulmonibus ante alias corporis partes, propter delicatam texturam et singulares functiones, suos effectus edunt.

Ex suprà dictis, satis constat, eos, qui frigidas regiones incolunt, ubi cœli mutationes insunt, quàm calidas, frequentiùs huic morbo objici; tamen qualibet regione mutationibus tempestatis pronâ oriri potest. Talis est Magna Britannia et Hibernia, quibus in plagis, præ aliis terrarum orbis, morbi inflammatorii crebriùs semet ostendunt, et inter hos habendus est hicce morbus, quo nullus frequentior inter homines grassatur, nullusve sævior conspicitur.

Item ex ætatibus, certa morbo maximè patet, scilicet e pubertate ad senectutem usque, præcipuè verò ab anno quadragesimo ad sexagesimum, quia tum tonus systematis et irritabilitas summa sunt. Cùm in pueris elaterem

terem vasorum, atque in sensibus atoniam, consideremus, pneumoniâ plerumque immunes esse non mirùm videtur: "Adultos hinc "potiùs invadit, quàm juniores, in quibus so-"lidorum laxior compages, et fluidorum mi-"nor densitas reperitur, unde et HIPPOCRA-"TES (Com. § 874.) monuerat, pleuritidem "et peripneumoniam ante pubertatem non "fieri, interim tamen quandoque, licèt ra-"riùs, et junioribus hic contingit morbus *."

Tamen non desunt exempla ubi pueri, etiamque senes, pneumoniâ correpti fuêre †. Sexus virilis quàm muliebris hoc morbo sæpiùs tentatur, forsan quia robustiore habitu et fibris magis rigidis gaudet. Cùm verò mulieres

* Vid. Commentaria VAN SWIETEN, § 879.

† Vir clar. Doctor GREGORY, in suis prælectionibus de medicinæ praxi, se curavisse ægros hoc morbo vexatos solùm quindecim, sæpiùs sexaginta, et semel octoginta octo annos natos, meminit.

Pneumoniâ, anno ætatis decimo sexto, corripi mihimet contigit.

mulieres adoritur, majore vi sævit, et multùm plus periculi affert; namque illæ constitutionem corporis delicatiorem et debiliorem possident, aliisque modis, nempè vitâ sedentariâ et usu enervantium liquorum, hanc adaugent. Ea debilitas quam prægressi thoracis morbi post se relinquunt, huic morbo interdum viam sternit. Tubercula pulmonibus insidentia, vasa comprimendo et cursum sanguinis retardando, ad eundem producendum effectum haud parùm conferunt. Qui semel ex hoc morbo laboraverunt, quàm alii, in eum iterum incidere, multò magis periclitantur. Huc accedit quædam pectoris deformitas, quæ spatium coarctando, per quod sanguis in pulmonibus transit, pneumoniæ magnoperè favet. Postremò, evacuationum solitarum suppressio; quales sunt cutis exhalatio, hæmorrhois, menses, epispastica, setacea, ac similia, inter causas, quæ corpus morbo aptius reddit, numeranda est.

Excitantes,—sunt quæ morbum proclivibus gignunt; et has inter, nulla crebriùs occurrit,

occurrit, plùsve valet, quàm frigus corpori nimis calefacto subitò applicatum *. Hoc præsertim cum humore conjunctum, corpori nocet. Frigus superficiei admotum, extrema vascula constringendo, halitum cuticularem cohibet; unde humores nimiâ quantitate, et majore impetu quàm naturale, interiores partes versus dirigentur. Igitur pulmones, ob fabricam vasorum tenerrimam, obque mirabile cum superficie corporis consortium quo gaudent, congestioni facillimè patere, unde inflammatio ibi oritur, abundè constat. Huc quoque pertinent inspiratio auræ frigidæ, et usus frigidi potûs, dum corpus post vehementem exercitationem plùs æquò incaleret.

Calor quoque, qui insigni stimulo gaudet,

 præcipuè

---

* "Inprimis autem pleuritidis periculum tunc "adest, dum ex calidis hypocaustis in aërem frigi-"disssimum, non satis tecto vestibus corpore, pro-"deunt incautè homines." —— Comment. Van Swieten.

præcipuè si frigori ingenti superveniat, ad morbum gignendum maximè pollet *.

Inter causas excitantes omnia, quæ pulmones irritant, memorare liceat. Talia sunt nimia corporis exercitatio, ut in currendo, et declivitates ascendendo ; vis pectori illata, ut ab ictibus casibusve ; vulnera pulmonum ; nisus vocis vel respirationis nimis magni, ut in canendo, sonorè loquendo, aut fistulam aliave musica instrumenta tubulata inflando, violentiùs justo. Huc accedant vapores acres ex sulphure, arsenico, vel acido muriatico seu carbonico orientes, qui in pulmones recepti, bronchia

* VAN SWIETEN, de hoc tractans, his verbis utitur : " Calor quoque effectibus stimulantibus quos " in corpus edit, hunc morbum suscitare valet. " Post frigus intensius corpori admotum, hoc faci- " liùs præstabit ; non tantum quod systema univer- " sum effectus ejus, eo tempore acutius sentiet, sed " etiam quod vasa pulmonea viribus frigoris sedan- " tibus ante infirmata actione adauctæ, per calorem " factæ, citiùs cedent, et congestionem et inflam- " mationem incidere patientur."

bronchia irritando, hunc morbum interdum inducunt. Dicitur etiam inhalationem *gasis oxygenii* idem præstare. Altera causa est cibi, sæpiùs verò potûs, immodicus usus, qui ventriculum destendendo descensui diaphragmatis occurrit, respirationem turbat, et morbo plurimùm favet.

Pneumonia publicè interdum grassari fertur *, unde eam, a contagione specificâ originem ducere percrebuit suspicio. Tamen, ut neque observatio nec experientia adsint, de hac re discernere, in medio relinquam. Præter causas jam enumeratas, rubeolam, catarrhum, variolam, et podagram comprehendere liceat; nec desunt exempla ubi morbus, anginæ pectoris et cynanche tonsillari supervenit †.

CAUSA

---

* Vid. MORGAGNI, Epistol. xxi. Art. 26.

† Audi prælect. illustrissimi GREGORII.

CAUSA PROXIMA.

Causam hujus morbi proximam eandem esse atque eam cæterorum qui inflammatione gaudent, mihi quidem videtur. De hac causa, tamen, medici nondum inter se consenserunt. Varias opiniones a Boerhavio ejusque discipulis traditas omittam, quarum enumeratio, quum jam penitùs repudiantur vixque ullos fautores habent, prorsùs inutilis foret; et eam a Culleno ejusque æmulis tam strenuè vindicatam nunc memorabo. Oritur, utì censet ille vir celeberrimus, inflammatio, causis remotis applicatis, a spasmo vasorum extremorum, unde cursus sanguinis liber adeò obstruitur, ut actio vasorum impetusque sanguinis illa versus factus, magnoperè intendantur. Porrò addit idem auctor, quòd vires naturæ medicatrices ad pyrexiam confugiant, eamque sustineant, donec spasmus vasorum et congestio debellantur.

DIS-

DISSECTIONES.

Thorace aperto eorum quos pneumonia sustulit, phænomena morbida sequentia oculis obveniunt. Sæpè, ob effusionem humoris serosi vel sanguinei in cavum bronchiorum, non se contrahere pulmones reperiuntur, Pleura pulmonalis solito crassior est, vasaque ejus sanguine, ultra modum, plena et turgida semper apparent. Nonnunquam etiam pleura costalis eadem ferè morbi vestigia prodit.

Insuper his, pulmones ipsi sæpè inflammatione corripi conspiciuntur, atque intra textum parenchymatosum tuberculis compluribus, in suppurationem transeuntibus, obsideri. Simul observari meretur, quòd pleura pulmonalis, diversis in locis, laminâ lymphæ coagulabilis ferè superlinatur, quâ secum mutuò et pleurâ thoracis parietes investiente adhæret. Hæc lympha exudando gignit crustam,

tam, quæ posteà in textum cellulosum abit, in quo vasa ejus injectu liquidæ ceræ facilè demonstrentur *. Mirum in modum pleura ad inflammationem proclivis esse videtur; quoniam, ex inspectis mortuorum cadaveribus, pulmones multorum vicinis partibus accrescere deprehenduntur, quamvis in nullis, dum vita maneret, indicia inflammationis unquam apparuêre. Abdomen interdum, rarissimè tamen, in malum trahitur.

DIAGNOSIS.

Nunc quibus indiciis hicce morbus ab aliis, quibuscum confundi periclitatur, ritè dignosci potest, paucis exponere conabor. Inter hos Peripneumonia notha, Carditis, Hepatitis, Gastritis, et Rheumatismus, enumerari debent. De his igitur in ordine.

1. A

* Vid. Baillie's *Morbid Anatomy*, pag. 35.

1. A *peripneumonia notha* discriminatur morbus, de quo agitur, quia in illa pulsus frequentius, pleniores et molliores sunt; neque dolor thoracis tam acutissimè sentitur; nec pyrexia tanta subest, quanta in pneumonia *. Insuper peripneumonia notha ætate provectos, et potissimum catarrhis †, usuique liquorum spirituosorum nimis libero deditos, maximâ ex parte impetere solet.

2. *Carditis* nequaquam frequens morbus est; et illam a pneumonia satis dijudicabunt, dolor in latere thoracis sinistro mordens, profundèque situs; pulsus arteriarum inæquales ac intermittentes; palpitatio cordis; synco pe, et magna anxietas.

3. Quamvis *hepatitis* cum pneumonia tantam habet similitudinem ut quibusdam in casibus invicem confundi periclitetur; tamen symptomata

* Huxham, chap. 3.

† Vid. Morgagn. Epistol. xxi. Art. 13.

symptomata sequentia sedulò animadversa, ni fallor, utrumque morbum clarissimè notabunt. Ita in pneumonia decubitus in latus utrumque ferè molestus est, in dorsum facilior; in hepatitide, contrà, æger in latus, quod creberrimè laborat, dextrum videlicet, nullo negotio cubare potest. In illa tussis est humida, et facies plerumque purpurascit; dum in hac tussis sicca et facies pallida semper adsunt. Quinetiam anorexia, singultus et vomitus, quæ hepatitidem ferè semper comitantur, præsertim cùm inflammatio superiorem hepatis superficiem occupet, in pneumonia rarissimè apparent. Denique si dolor hypochondrio dextro ascendens ad claviculam summumque humeri dextri signis modo memoratis superveniat, ex hepatitide ægrotum laborare pro certo habeat medicus.

4. Quod ad *gastritidem* attinet, eam a pneumonia facilè secernunt, ventriculi ardor et dolor, singultus, statim a cibo sumpto vomitus, pulsus debilis, et febris typhodes.

5. Ista

5. Ista *rheumatismi* varietas, quæ musculos inter costas sitos afficit, cum pneumonia intermisceri potest. Hæc varietas nosologis Pleuritis *spuria* vocatur, et diagnosin, eam inter et morbum nostrum, reddere haudquaquam arduum erit. Pleuritidem spuriam enim rariùs comitatur magna spirandi difficultas, nec ulla tussis maxima ex parte se oſtendit, vel si fortè adsit, sicca perstat; porrò partes externæ tumore ac rubore interdum corripiuntur, quæ sub tactu levissimo nunquam non dolent; signis autem longè diversis, ut ex ejus historia et definitione anteà traditis satis patet, pneumonia stipatur.

RATIO SYMPTOMATUM.

Omnia hujus morbi symptomata quæ in historia recensentur, exponere supervacaneum forsan et prorsùs inutile foret; horum igitur solummodò, quæ frequentissimè occurrunt,

 quæque

quæque in definitione clar. CULLENI accurata se habent, rationem reddere aggrediar.

Pyrexia.—Ille status est febrilis, qui omnibus ferè inflammationibus adest, et qui ex systematis nixu, saltem magna ex parte, oriri videtur, quo constrictio, vasculis extremis inducta, subigetur.

Respiratio difficilis.—Hæc sanguini ægrè per pulmones transeunti tribuenda est; sanguine namque quantitate majori solitâ in pulmonibus accumulato, vesiculæ aëriferæ adeò comprimuntur, ut liber aëri aditus admodum excludatur. Dyspnœa, incipiente pneumoniâ, per inspirationem, quia pulmones distendit, et irritat, semper augetur; provecto tamen morbo, effusioni liquoris illas vesiculas prementis laboriosissima atque difficillima debetur respiratio.

Facies tumida et purpurea—sanguini in vasis capitis facieique collecto, propter cursum ejus per pulmones impeditum, haud ex toto

imputanda

imputanda est, sed partim proficiscitur ex sanguine in pulmonibus debitam mutationem non subeunte, quâ ex purpureo colore, aëris tactu, coccineus inducitur.

Dolor.—In omni inflammationis casu, usitatum est hoc symptoma. A sensilitate auctâ evenit, et hæc ex nimia vasorum tensione in parte affecta pendere videtur. Ubi decumbendi difficultas in latus tentatum se exhibet, oneri pulmonum partem inflammatam prementi ascribatur; si verò inflammatio ad alterum extenderet, dorso incumbere vel situ erecto uti æger cogetur, quòd corpore ita posito, ab utrisque lateribus pressura penitùs sublata erit.

Tussis—producitur a pulmonibus ita irritatis ut stimulo quolibet promptiùs afficiantur. Hæc sub initium sicca est, quia, propter spasticam constrictionem, vascula bronchiorum exhalantia quantitatem muci necessariam excernere nequeunt. Morbo tamen progrediente, humida evadit; namque fugatâ constrictione,

tione, effusio aut exhalatio acris muci ferè contingit. Cùm sanguis excreatione misceatur, ob relaxationem vasorum vel etiam rupturam, ex quorum oribus globuli rubri facilè elabantur, explicari potest.

PROGNOSIS.

Prognosin in pneumonia nisi cum summa cura ac prudentia instituere nunquam debet, si sapiet, medicus. Nihil enim magis ad laudem et existimationem ejus conducere potest, quàm de exitu morborum certè sagaciterque augurare. Experientiâ constat morbum nostrum nunquam, etiam a primo exordio, discrimine vacare. Curatu difficillimus est, et maximè lethifer, quando ad medicam peritiam tempestivè non confugitur. Quàm eleganter hæc res exprimitur poetâ !

"*Opprime dum nova sunt, subiti mala semina morbi.*"

Pyrexia

Pyrexia vehementissima, calor cutis summus, pulsus valdè durus atque celer, et vultus turgidus lividusque, malum portendunt. Frequens pertinaxque tussis, cum parva nullave excreatione, difficilis respiratio nec nisi erecto corpore exercenda, delirium ferox, sudores gelidi, et floccorum collectio, mortem instare testantur. Dolor acutus, gravis atque serpens, quoque multum periculi habet.

Judicium ex vehementia doloris deductum, haudquaquam semper fidendum est. Quanquam enim æger levi dolore solummodò vexatur, nihilominùs imminente in periculo versari potest *. Prætereà doloris remissio, quæ per primæ hebdomadæ decursum interdum incidit, et ægrotantem adducit ut credat omnem rem esse jam in vado, sæpè nos hallucinatur †.

* Prælectiones audi Doctoris GREGORY.

† CLEGHORN.

E contrario, si symptomata inflammationis, idoneis remediis adhibitis, levari incipiant; si sudor lenis per totum corpus erumpat; si urina lateritium sedimentum deponat; sique tussis mitis sit, cum facili materiæ crassæ, albidæ et sanguine leviter tinctæ, excreatione; eventum morbi faustum sperare plerumque licebit. Profluvium sanguinis e naribus, utero, vel ano, primis diebus incidens, idem promittit. Spiritus denique facilis, dolor minùs sævus, et somni reditus, maximam redeuntis sanitatis spem fovent.

CURATIO.

Ad partem hujus opusculi ultimam, et longè utilissimam, nempè curationem, tandem pervenio; nam quid refert cognoscere morbum, si remedia ad eum arcendum vel levandum, propria deessent?

Medici

Medici est, qui ad eos pneumoniâ laborantes arcessitur,—

1. Causas excitantes removere;
2. Inflammationem tollere;
3. Gravissima signa mitigare.

De ratione hasce tres indicationes absolvendi, ordine dicere proximum est.

Indicatio Prima.

Quam momentosum sit hanc indicationem observare, exponendo tempus terere omninò inane foret, utpote causis excitantibus præsentibus, adhucque agentibus, nil boni a medicamentis sperandum est. Ut aër frigidissimus cum humore causa morbi sæpissimè extet, sic haud sine periculo adhiberi potest. Aëre contrà nimis calido, ne febris synocha adaugeatur, quoque cavendum est.—

"Fly,

" Fly, if you can, those violent extremes
" Of air; the wholesome is nor moist nor dry.
" But as the power of chusing is denied
" To half mankind, a farther task ensues;
" How best to mitigate these fell extremes,
" How breathe unhurt the withering element,
" Or hazy atmosphere *."—

Pneumonico igitur aëris conditio summi momenti est, et nostram in primis attentionem postulat. Quò purior aër, eò gratior ac melior est †. Temperies cubiculi maximè eligenda, est inter gradum thermometri Fahrenheiteani quadragesimum quintum et sexagesimum; sed ultra hunc, haud unquam transire debet. Cùm nisus pulmonum, præsertim inspiratio nimis ampla et locutio eos magnoperè irritant, et multum muscularis actionis requirunt, summâ curâ effugiendi. Omnis agitatio

* Armstrong *on Health*.

† " Et conclave tenendus, quò multum et purum " aërem trahere possit; neque multis vestimentis " strangulandus, sed admodum levibus tantùm ve" landus est."—Celsus.

agitatio animi et corporis, quoniam systema stimulat, sedulò cavenda est. Æger cibo animali et stimulanti, liquoribusque omnibus spirituosis et fermentatis, abstinere debet. Diæta, contrà, vegetabilis, levis concoctuque facilis, utì amylum cycatis circinalis, decocta e farinaceis, et similia, in locum substituenda est; et aqua frigidula acido fructuum ac vegetabilium imbuta, pro potu tantummodò concedenda. Quinetiam lux sonitusque vitari debent.

Indicatio Secunda.

Ad hanc indicationem explendam, scilicet ad inflammationem tollendam, nihil venæsectione efficacius est. Ad hoc remedium, initio morbi, nunquam non confugere medicum oportet; at provectiore stadio, nisi summa cum observantia, sanguinem detrahere debemus; quia vires ægroti convellendo, et effusioni in bronchia favendo, exitium ejus tantùm acceleratur. Spes nostra quidem ferè omnis miseri salutis, in missione sanguinis,

sub principium mali, quàm subitò ex incisione ampla plenoque rivo facta, sita est *.

Parva quantitas sanguinis hâc viâ extracta quippe systema celeriter relaxat, quàm magna copia tardè, multò plùs prodest. In sanguine pneumoniâ laborantium, crusta coriacea semper observanda est. Quoad quantitatem sanguinis detrahendam, nulla regula generalis tradi potest; hæc autem secundum signorum violentiam, ægri ætatem et robur, pulsusque arteriarum, multùm variet. Notandum est insuper, ut æger secundam detractionem multò meliùs quàm primam tolerare solet. Vir adultus modicâ corporis firmitate pollens,

* De hac re sic notat VAN SWIETEN. "Pulcherrimè juvat si ex vena majore per vulnus amplum, "celeri fluxu exeat; hinc in cubito præstat venam "aperire, quàm in manu. Non enim hæc sanguinis "missio instituitur tantùm ideò, ut copiâ minuatur, "sed etiam ut, subitâ tali depletione factâ, arteriæ "obstructæ minùs jam urgente sanguine arterioso, "contractæ retropellant massulas obstruentas in majores ramos, sicque tollatur inflammatio."

pollens, unciarum duodecim inter et viginti jacturam facilè fert; et iterum atque iterum, pro rebus, sanguis eliciendus est. Hanc quantitatem sanguinis detractionem plenam, infra duodecim uncias exiguam, supra viginti largam, et quatuor aut quinque libras, spatio duorum triumve dierum maximam, quæ tutò mitti potest, arbitratur cel. Cullenus. Sanguine fluente, si dolor et spirandi difficultas remittant, per id tempus ejus fluxum sistere bonum erit; si verò hæc signa non apparent, in sanguinis missione ad incipientem syncopen usque perstare plurimi præcipiunt. Hoc autem præceptum, in omni morbi exemplo exequi non conveniet; enim nonnullos ex detractione trium quatuorve sanguinis unciarum syncope invadere solet, dum aliis donec jactura ejus ingens sit, syncope non accedit. De quantitate sanguinis quem per totum morbi decursum detrahere convenit, etiamnum dubium est. Pneumonia vera uni vel etiam quinque detractionibus rarò cedit; et medici statu pulsûs nimiùm freti, minimâ sanguinis

missione

missione quàm maximâ, meo judicio, aberraverunt; namque "in his et similibus exem- "plis, ad naturam mali, plùs quàm ad statum "pulsûs, respicere oportet *."

Testatur SYDENHAMUS † se raro vidisse, virum adultum hoc morbo sanari, antequam quadraginta circiter sanguinis unciæ detractæ essent. Ipse octoginta circiter uncias sanguinis amissas, priusquam morbus subigeretur, vidi.

Hìc etiam mihi aptissimum videtur mentionem facere de juvene quodam, annos 19 habente, hoc morbo correpto, qui in cubiculis Nosocomii Regii Edinensis clinicis curæ ingeniosi nostri Professoris HOME, hieme superiore, commissus fuit; et cui, ob gravissimum aggressum, ad uncias octoginta octo, spatio trium

* Vide GREG. *Conspect.*

† SYDENHAM'S *Works*, chap. iii. parag. 8.

trium dierum, sanguis detrahebatur *. Huic tractationi, brevi tempore, morbus cessit.

Ducenis jam annis disputatum est, utrum hoc in morbo sanguis e brachio dextro an sinistro emitti debet. HIPPOCRATES brachio lateris affecti sanguinem detrahere maluit, quippe hâc viâ putridam bilem, causam morbi utì putabat, evacuare credidit. ARETÆUS contrà, qui signa morbi ullo antiquorum præstantiùs depinxit, detractionem sanguinis e brachio lateris non vexati magnoperè laudavit. Parùm forsitan refert, sive in dextro, sive sinistro brachio venam aperimus, et interdum venæsectionem ex ambobus fieri oportet.

Postquam missio sanguinis è brachio eò usque adhibita fuit, ut ex alia iteratione injuria sequatur, ad missionem ex partibus sedi inflammationis propioribus decurrere liceat. Hoc

---

* *Clinical Reports*, Anno 1803-4. JOHANNES BOYD.

Hoc efficitur scarificatione, hirudinibus, vel cucurbitulis cruentis. Nihil tam multum auxilii, inquit medicus ingeniosus *, quàm scarificator et cucurbitulum cruentum affert, adeò ut plurimis in exemplis, in quibus ad ea confugerit, morbus aut ex toto depelleretur aut maximè levaretur.

Emplastra meloës vesicatorii perquam utilia sunt, et in omnibus ferè casibus, sanguine priùs misso, unum admoveri debet. Veruntamen cùm morbus vehemens sit, non ante secundam vel tertiam sanguinis missionem adhibendum est. Quoniam evacuatio ex vesicatorio plerumque parva est, amplum adhibere conveniet, et quò propius parti affectæ applicetur, eò plus proderit. Si ex ejus operatione stranguria invadat, nihil ad eam arcendam quàm copiosus usus potuum mucilaginosorum et diluentium, magis juvat. De epispasticorum modo agendi in morbis inflammatoriis,

* Doctor Cleghorn.

matoriis, judicatu difficile est, forsan vi stimulante et antispasmodicâ, ideòque internis partibus ad externas sanguinem impellunt, spasmumque solvunt. Commoda tamen præstantissima eorum usu derivari, nemo inficias ibit. Epispastica enimverò ad morbi medelam adeò prosunt, ut cum levis sit ope eorum solummodò sæpè effecta esset.

Fomenta et cataplasmata partibus affectis superimposita laudata fuerunt, et eidem consilio ac vesicatoria respondent; sed quoniam illis longè præstant vesicatoria, ex toto repudianda sunt.

Administrationem digitalis purpureæ ad pneumoniam medendam, nonnulli medici nuperis annis suadent *. Dubitatum tamen est, utrum

---

* De hujus plantæ viribus, in morborum curatione, sic loquitur FERRIAR. "Digitalis affords us "a remedy capable of reducing the pulse without "pushing evacuations to a dangerous length; hence "it may be useful in pleurisies, peripneumonies, "and all inflammatory diseases."—Vide Doctoris FERRIAR, *Essay on Digitalis*.

utrum in pneumonia digitale uti oportet; metuendum enim est, ne vomitus per ejus administrationem excitaretur, qui a minima dosi frequentiùs occurrit, quique hâc in affectione summo periculo nunquam caret.

Quod ad purgantia spectat, nonnullis drastica cathartica probantur. Ex his enumerandus est HIPPOCRATES, qui suâ praxi drasticum, melampodium nempè, ferè semper præscribere solebat. De utilitate eorum tamen, inter quosdam medicorum exercitatorum, et in primis eruditorum, ambigitur. Hæc medicamenta, ut mihi videtur, quippe corpus multùm stimulant et morbo graviter urgente ægrotum tantùm cruciant, viresque ejus convellunt, perquam incommoda et interdum nocua sunt. Cathartica præstereà, exscreationem cohibere dicuntur. Itaque ad amovendam irritationem gravem ac periculosam, non solùm intestinis ipsis verò etiam universo corpori, duritie alvi orientem, laxantia leniora enemataque emollientia optima sunt. Sales neutri refrigerantes, infusum tamarindi Indici cum

cum cassia senna, fraxini orni succus concretus, ac similia, utpote horum mitissima et ægrotanti minimum molestiæ afferentia, præ cæteris longè anteponenda sunt. Enemata quotidie, si occasio exigat, injici debent.

Indicatio Tertia.

Quo gravissima signa mitigemus vel prorsùs depellemus, ea sunt consideranda, quæ, morbo progrediente, ferè observantur; qualia sunt ejectio sputi difficilis, tussis, et diarrhœa.

Ad promovendam ejectionem sputi liberam, gummi ammoniacum, scillæ maritimæ radix, aliaque hujusmodi, usurpari consueverunt; sed quoniam stimulant et interdum vomitum cient, ni quàm maximè cautè adhiberi debent. Ad eandem rem, medicamenta antimonialia, portionibus data quæ nauseam solùm excitant, præscripta fuêre. Ex his vinum tartritis antimonii formâ præstat, quia dosis hujus quàm cæterarum accuratiùs definiatur.

niatur. Carbonas ammoniæ quoque, sub finem morbi, nonnunquam administrata fuit; sed nimis stimulando, certè malum augeret. Vapores aquæ calidæ sive aceto commixtæ, in bronchia, per machinam *Mudgianam* accepti, ad sputum facilius reddendum plurimùm conferre inveniuntur.

In tussi coërcenda, quæ pneumoniam semper comitatur et maximè urget, mucilaginosa et demulcentia acrimoniam obtundendo, et irritationem compescendo, multùm conducunt. Maximè inter hæc notantur radix althææ officinalis, gummi mimosæ niloticæ, emulsio fructûs amygdalæ communis, mel, extractum glycyrrhizæ glabræ vel trochisci ejus cum opio. Opium quod non solùm dolorem aufert, sed etiam irritationi occurrit, ideòque somnum inducit, his longè præstat, et, nil obstante, semper exhiberi debet. In hujus remedii usu, cura tamen adhibenda est quædam. Incipiente morbo, quia spiritum difficiliorem reddit, et inflammationem auget, summæ perniciei erit; ubi autem diathesis

phlogistica

phlogistica sublata est, et symptomata quæ potissimùm sæviunt, sunt tussis pervigiliumque, ad opium bona cum spe decurrendum est. Hoc quidem medicamen sputi ejectionem brevi tempore impedit; posteà verò stagnatione ejus liberiùs et crassiùs ex pectore ejicitur. Opium, aut formâ trochisci aut cum quovis liquore mucilaginoso* conjunctum, præcipi potest.

Sub finem morbi diarrhœa nonnunquam occurrit, et propterea quod ægrum magnoperè debilitat, sique negligatur brevi lethalis evadet, eam supprimere summâ ope semper nitendum est. Huic consilio optimè respondet opium liberè datum. Sin verò hoc remedium incassùm usurpatum fuerit, et diarrhœa vires ægroti magis insigniter exhauserit, ad

---

* Exempli gratiâ.

℞. Mucilag. Gum. Mimos. Nilot.
Decoct. Althææ Officinal. ā ā. ℥ iij.
Syrup. Toluifer. Balsam. ℥ i.
Tinct. Opii gutt. xl. M.
Cochleare unum, urgente tussi, sumendum.

ad astringentia, scilicet kino, et succum spissatum mimosæ catechu, protinùs confugere oportet.

Pneumoniâ his remediis depulsâ sæpè summa debilitas etiamque urgens adest. Ad hanc removendam cinchona, ex ferro præparata, diæta nutriens, et vinum, plurimùm proficiunt; iisque adjiciatur exercitium sub Jove modicum, et animus tranquillus ac serenus. Denique, ut mali reditui occurratur, causas remotas, præsertim frigus et intemperantiam omnigenam caveat æger.

Statutis Senatûs Academici jam perfunctus, occasionem mihi tandem oblatam esse magnoperè lætor, grates ab imo corde palam persolvendi viro claro Henrico Porter, de *Portertown* juxta *Portarlington*, ob innumera in me collata beneficia quamdiu apud eum habitavi, quorum, maxima cum voluptate gratissimoque animo, ad extremam usque ætatem, memoriam fovebo. Ut diu vivat et valeat, obnixè precor.

F I N I S.